

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. No. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



625.
37



DE
MISSA PONTIFICIA.
DISPUTATIO XIII.

EX SECUNDA PARTE EX-
minis concilij Tridentini, à clarissi-
mo viro, Dn. D. MART. CHEMNI-
TIO conscripti,

Duobus constans capitibus:

- I. Sententia Pontificiorum de Missa.*
- II. Refutatione argumentorum, quibus eam stabi-
lire conantur.*

Cujus positiones

SUB PRÆSIDIO

SALOMONIS GESNERI, SS.

Theologiæ Doctoris & Professoris publici in cele-
berrima Academia Witebergensi, in collegio dispu-
tationum Theologicarum privato, defendendas
ad diem 22. Junij, anno, 1603. in tem-
plo arcis Electorali proponit

JACOBVS BOETIVS, Holsatus.

W I T E B E R G A E

Typis Meisnerianis.



REVERENDIS, CLARISSIMIS,
DIGNITATEQUE AC DOCTRINA
præstantissimis viris,

DN. M. THOMAE SCHATTENBERGIO,
Præfecturæ Flensburgensis Præposito vigilantissimo:

DN. IOHANNI MAVRITIO, Tunderensis Præ-
fecturæ Præposito dignissimo.

NEC NON

Amplissimo prudentissimoq; Viro,

DN. GEORGIO à STITEN, Inclytæ Reipub. Lu-
becensium Senatori meritissimo.

Speçtatissimo item, ac integerrimo viro,

ANTONIO BRANDES, ejusdem Reipub. civi
primario, templique Mariani Curatori
fidelissimo.

UT ET

*Viris generis splendore, dignitate, pietate, omniq;
virtute præcellentissimis,*

ANDREAE THOMAE O,
THOMAE ANDREAE,

Civibus Reipub. Tunderensis honoratissimis.

*Dominis Patronis, Meccenatibus ac fautoribus suis omni pietatis
& observantiæ studio æternùm colendis:*

Positiones hæc Theologicas

*Reverentia, amoris, ac gratitudinis. ergò offero,
inscribo & dedico*

IACOBVS BOETIVS, Hollatus,

Respondens.

THESIS I.



*M*agnus ille Propheta Germania Lutherus sancta recordationis in confessione Anno 1528. edita non sine gravissimis causis, magnaq; animi commotione dixit: se supra omnes abominaciones habere Missam, & nihil magis dolere, quam quod per 15. annos Missas celebravit more Catholicorum.

II.

Tot enim in eâ horrenda sunt abominationes, qua superant omnium temporum idolomanias, tot diabolica vanitates, tot detestanda superstitiones, tot execranda simonia, tot blasphemiae, ineptiae, sacrilegia, tot magica incantationes, tot abominanda ceremonia, tot histrionici gestus, signaq; ridicula, qua sacrosanctam Cane Dominica actionem in spectaculum plane idololatricum transmutant, Christum insigni contumeliâ afficiunt, crucem eius sepeliunt, & opprimunt, mortem eius in oblivionem tradunt, fructum ex eius morte ad nos redundantem obliterant, ut nulli tantum ingenij flumen, tanta scribendi facultas, tanta dicendi copia, qui ea, ne dicam ampliare, sed enarrare valeat.

III.

Ceterum quia Lojolita nolunt idoli sui abominationem agnoscere, sed ingentis, quem facit, questus cupiditate praecipati, quod tetricior est & execrabilior, eo pertinacius defendunt, novisq; subinde coloribus exornant, non abs re facturos nos judicamus, si pro instituti ratione paucis de Missificatione differamus, ut cognitis detestandis eius superstitionibus, & absterfo fuco meretricio, eo cautius illam fugiamus, Deoq; agamus eò ardentiore animi devotione gratias, quod nos servitute istius idoli plusquam Diabolicâ paternè liberarit, ac oremus, ut verbi sui lumen in nobis accensum conservare & ad posterorum seriem propagare velit.

A 2

Possunt



IV.

Possunt autem valde multa de presenti errorum segete disputari, in quibus examinandis cum secutura disputationes suam etiam telam sint confectura, Chemnitij nostri vestigijs insistentes, hac διακρίτη, 1. sententiam Pontificiorum de Missa proponemus. 2. argumenta, quae pro ea stabilienda ex sacra scriptura per crines attrahunt, ἀμαθέσεων ἢ σαφέσεων, solide tamen diluemus.

CAPUT I.

DE SENTENTIA LOIOLITARVM
de Missa.

V.

Quoniam Pontificij Thaidem suam fuco vocabuli Sacrificij, quod in sacris scripturis & scriptis patrum sapissime occurrit, sanog. sensu recte usurpatur, exornare, & toti orbi Christiano commendare, atq. sub hoc pretextu sacram Synaxin in actionem toto genere diversam transmutare non verentur, paucissima de vocabulo Sacrificij praemittere visum fuit, ut quo sensu Cena Dominica attribui possit, manifestum fiat.

VI.

Quod itaq. acceptiones vocis Sacrificij attinet, sunt ea varia. In Veteri Testamento Sacrificia vocantur oblationes illae partim propitiatoriae, quarum aliae διαδρακτικαὶ ad placandum Deum totum combustae, factae ex lobus, ovibus, capris, turturibus, & columbis: aliae ἀπολυτρωτικαὶ pro peccatis originalibus, item imbecillitatis & ignorantiae, factae pro sacerdote ex vitulo seu juvenco, pro principe ex hirco, pro privato ex capra vel ove, quibus deficientibus, ex turture, pullis columbarum, vel farina aut simila: pro peccato autem ἐξ ἀρίων ex ariete. Secundo vocantur Sacrificia oblationes gratatoriae seu εὐχαριστικαὶ, quarum. 1. Minchah ex farina, simila, oleo infuso & thure supposito, 2. placenta seu constituta similaginea uncta oleo, & cocta in clibano, 3. simila
cocta

629.

cocta in sartagine, frustatimq; concisa. 4. vel in cacabo cocta, 5. spica de primitijs frugum ad ignem tostae vel contusa. Secunda hostia pacificorum pro beneficio accepto. Tertia θυσις ἀνέσπεως pro beneficio sperato.

VII.

In Novo Testamento proprie vocatur Sacrificium Christi meritum Eph. 5. vers. 2. Heb. 7. 9. 10. qui se pro peccatis nostris obtulit, qui orat pro nobis, ut sacerdos noster, orat in nobis, ut caput nostrum, oratur à nobis, ut Deus noster, velut scitè dixit August. in Psal. 85.

VIII.

Bona opera fidelium congruentia cum lege & voluntate Dei vocantur etiam Sacrificia, ut 1. ministerium Evangelij, seu obedientia in docendo & convertendo alios ad agnitionem Dei Rom. 15. vers. 16. 2. Conversio & fides amplectentium Evangelium Phil. 2. vers. 17. Psal. 51. v. 19. 3. Spes in Deo fixa Psal. 4. v. 6. Quarto Mortificatio veteris Adami, suiq; ipsius abnegatio, & totus Christianorum cultus in vitandis peccatis & studio novae obedientiae Rom. 12. vers. 1. 1. Pet. 2. v. 5. Quinto Orationes seu preces Heb. 5. v. 7. Apoc. 5. v. 8. & 8. v. 3. Psal. 141. v. 2. Sexto Confessio seu gratiarum actio Heb. 13. v. 15. Psal. 50. v. 14. Ose. 14. v. 3. Septimo Beneficentia ad sustentationem ministerij Phil. 4. v. 18. Octavo Munificetia in pauperes Heb. 13. v. 16. Nono Martyrium id est vita & sanguinis effusio pro gloria Christi Phil. 2. vers. 17.

IX.

Philippus Melan. dicit omnia piorum opera Sacrificia cense-ri posse, quando praesertim haec tria concurrunt, 1. mandatum seu institutum Dei. 2. fides in usu operis divinitus mandati exercenda. 3. finis hic, ut Deo tribuatur honos.

X.

Tam varia itaq; cum sint acceptiones vocis Sacrificij non absurde à patribus appellata est uspiã Cæna Dominica Sacrificium, partim quia in cæna fit commemoratio veri illius & unici Sacri-

ficij Christi semel in cruce oblato. August. in Psal. 49. Chrysof. in Epist. ad Heb. Hom. 17. partim, quia olim sub Cæna actione à fidelibus munera dabantur, quorum pars, panis nempe & vinum ad Cænam consecratur, pars ad pauperes reficiendos conferebatur: Cyprian. Serm. 1. de Euch. Iustin. in Apolog. 2. pro Christ. Irenæ. lib. 4. cap. 34. partim propter preces & gratiarum actiones Sacrae Cæna conjunctas Iren. lib. 4. cap. 33. Tertulli. ad Scapul. & in Apolog. cap. 20. partim quia totus homo sumptione cæna se dedicat & consecrat Deo, ut sancta societate ei ad hereat: August. in Epist. 59. Euseb. de demonst. Evang. lib. 10: partim quia ibi fit participatio vera victimæ, corporis nempe & sanguinis Christi; Cypri. de Cæna Domini: partim quia panis & vinum per verbum Dei & gratiarum actionem sanctificatur & consecratur.

X I.

Causam, cur veteres sic locuti sint dicunt nonnulli fuisse, quod Sacrificij nomen priscis temporibus sanctissimum tam apud gentiles, quam Iudæos habebatur, nec sine Sacrificio ulla religio esse posse credebatur: atq; etiam multis exosi erant Christiani, quod externa Sacrificia sustulissent. Ut igitur huic malo remedium adhiberent, & Christianam religionem non esse sine Sacrificio testarentur, ideo in doctrina de cæna Domini Sacrificij, oblationis &c. nomen usurparunt, ut significarent nullam esse causam, ob quam Iudæi & gentiles ab Ecclesia Christiana, tanquam omnibus Sacrificijs destituta abhorrerent. Et sane hoc fuisse veterum consilium tum ex alijs veterum scriptis, tum ex apologijs eorum nomine editis perspicuum est.

X II.

Quod si dicta quaedam patrum duriora, quam ut modo vel prædicto vel meliori explicari possint, occurrerint, ea parum vel nihil hac in re curamus. Nullus enim sensus contra scripturam Sanctam, quæ sola est regula fidei introducendus est. Deut. 4. v. 2. & 5. v. 32. & 28. v. 14. Ioh. 1. v. 7. & 23. v. 6. Prov. 4. v. 27. Esa. 30. vers. 21. Lutherus lib. de capt. Baby. cap. de miss. Si nihil habetur quod

631.

quod dicatur, tutius est omnia negasse, quam missam sacrificium esse concedere. Et de privat. miss. Hic non moramur, si clauitene Papista: Ecclesia, Ecclesia, patres, patres, quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus.

XIII.

Hac de vocabulo sacrificij, quae si Lojolit a eo, quo dictum, sensu in hoc negotio usurparent, nullam eis moueremus litem. Re enim intellecta in verborum usu faciles esse debemus.

XIV.

Quia vero non ob vocis ambiguitatem, sed ipsius rei abominationem ab ipsis dissentimus, quid voce sacrificij intelligant, & qualenam sacrificium faciant ex Cæna Domini, ex ipsorum de missa doctrina videre lubet.

XV.

Definitio Missae ex Pontificiorum scriptis talis extrui potest: Missa est sacrificium externum, visibile, in quo sub specie panis & vini Corpus & Sanguis Christi per Sacerdotem ab Episcopo ordinatum, characteremq; indelibili notatum, in dies Deo patri certis ritibus, modo incruento ad expianda peccata tam mortuorum, quam vivorum, & omnis generis bona apud Deum promerenda offertur.

XVI.

Κύριος ἢ Ἰησους sacrificij missa est ipse Christus, qui cum Eucharistiam institueret, se antequam Corpus & Sanguinem suum daret discipulis, patri suo in suauem fragrantia odorem, secundum ordinem Melchisedeci sub speciebus panis & vini vere obtulit, discipulisq; suis, & sub eorum nomine omnibus Sacerdotibus, idem quod ipse fecit, usq; ad mundi consummationem facere iussit.

Pist. in
Wegweis
ser cap. 10.
pag. 367.

XVII.

Συνοῦτος est sacerdos. De huius ministerio variant ipsi Pontificij. Concil. Trident. Sess. 22. can. 2. dicit; Sacerdotes offerre Corpus & Sanguinem Christi. Bellar. lib. 2. de miss. cap. 4. Christus in cruce seipsum quidem obtulit, sed in sacrificium Missae, non ipse

ipse se offert, sed offertur ministerio sacerdotum. Pistor. in Weg-
weiser cap. 10. pag. 407. Non nos, sed ipse quotidie se offert. Ga-
briel Biel. Qui creavit, me dedit mihi creare se, & qui creavit
me sine me, creatur mediante me.

XVIII.

Huic porro sacerdoti si panis & vinum in Corpus & Sangui-
nem Christi vertere velit, simpliciter necessarium est, ut 1. pote-
statem consecrandi ab Episcopo habeat, & per tonsuram & unctio-
nem sit declaratus. 2. ut facultatem singula verba distincta pro-
ferendi sit praeeditus. 3. ut virtualement intentionem faciendi illud,
quod vult Ecclesia, habeat.

XIX.

De congruo necessarium est ei, ut careat pena mortali & pe-
na canonica, ut preces matutinas antequam accedat ad altare,
fundat, ut jejunus sacrificet, ut barba sit rasa, capillis compositis,
manibus lotis, mundicia corporali, vestibus sacris indutus, cingu-
lo circumcinctus, manipulo, stola &c. instructus.

XX.

Instrumenta huic sacrificio necessaria sunt praecipua: discus,
calix aureus, seu argenteus.

XXI.

Res προσφερομένη est panis & vinum, quae vi verborum conse-
crationis ita mutatur in Corpus & Sanguinem Christi, ut post con-
secrationem, praeter eorum speciem, remaneat nihil.

XXII.

Bell. lib. 1.
de miss.
cap. 27.
Can.
Innoc.

Haec creduntur revera offerri Deo, quando per consecratio-
nem ponuntur in altari, & ascendere per angelum in caelum ad
sacrosanctam Dei maiestatem, quando dentibus sacerdotis conte-
runtur, & intercedere pro nobis.

XXIII.

Panis consecratus non semper distribuitur ad manducan-
dum, sed asservatur, reponitur, includitur, circumgestatur: &
persuadentur homines, se ibi incensis luminaribus, genuflexione,
& alijs



Et alijs venerationis & adorationis ritibus & gestibus peculiarem
& eximium cultum prestare Christo, & quidem excellentiorem
quam si panis ille benedictus juxta institutionem acciperetur &
manducaretur.

XXIV.

Ostensio ejus usurpatur contra tempestates, incendia, morbos,
& quavis pericula, item pro omnis generis bonis impetrandis.

XXV.

Forma missae est certi generis actio quae ex sententia Eccij
lib. 1. de miss. cap. 10. verbis Sleidani ex 21. lib. desumptis de-
scribi potest. Videas Sacrificulum raso vertice peculiaribus ar-
matum instrumentis stare ad altare, ibiq; super panem & vi-
num Eucharistiae varijs uti gestibus, motibus & actibus, veluti
sapius geniculari, inclinare, strictis manibus modo distendere,
modo reducere brachia, subinde se convertere, nunc esse clamo-
sum, nunc magno silentio quaedam demurmurare, suspicere in al-
tum, esse primum, consistere non in uno loco, sed nunc in dextram,
nunc in levam partem altaris commigrare, micare digitis, in-
halare in panem & calicem, ea tollere in sublime, postea repone-
re, panem frangere, & in calicem immittere, pectus ferire pu-
gno, suspirare, clausis oculis representare somnum, rursus exper-
gisci, patellam deauratam a versam extenso brachio demonstra-
re, osculari nunc altare, nunc imagunculam metallo inclusam.
Haec Sleidanus, quibus additur consumptio.

XXVI.

Finis missae est, ut ea expientur peccata tam mortuorum, quam
vivorum sive praesentium sive absentium: unde etiam sacrificium vere
propitiatorium à Conc. Trid. patribus sess. 22. c. 2. can. 2. dictum:
ut omnia beneficia Christi merito parta applicentur: ut cruen-
tum Christi sacrificium representetur, ut humanae fragilitati
subveniat, ut omnis generis bona impetrentur: mala aver-
tantur: Sanctorum pro nobis intercessio exaudiatur &c.

XXVII.

Fructus igitur sunt remissio peccatorum: Innocentius dispu-

B

tans



tans de trina ablutione Sacerdotis in missa dicit Sacrificium Missae offerri, & purgationem & mundationem peccati originalis, criminalis, & venialis, item, cogitationis, locutionis, & actionis, vel peccati ignorantia, negligentia & contumacia. Conc. Trid. sess. 2. cap. 2. dicit Sacrificium hoc esse vere propitiatorium, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide cum metu & reverentia contriti ac penitentes ad D E V M accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum penitentiae concedens crimina & peccata, etiam ingentia dimittit. 2. Applicatio meriti Christi; Gabriel Biel. dicit sacrificulum per Missam posse applicare virtutem passionis Christi, quibus velit, generalissime Ecclesiae Catholicae specialissime sacrificulo, specialiter fundatori & cujus nomine peragitur. Eccius: sicut gratia & merita Salvatoris applicantur fidelibus per applicationem Sacramentorum: ita merita & fructus oblationis Dominicae applicantur fidelibus per hujusmodi actionem representationis in sacrificio. 3. Omnis generis bonorum tam spiritualium quam corporalium impetratio: Lindanus dicit lib. 4. Panoph. cap. 50. missam esse Sacrificium propitiatorium tam pro mortuis quam pro vivis, veramque pro peccatis hostiam, pro impetrandis denique cujusque generis à Deo beneficijs tam corporalibus, quam spiritualibus.

XXVIII.

Celebratur porro in loco ab Episcopo consecrato, ad altare decoratum cereis, lingua peregrina, tempore congruo, sub canticis, Psalmi Iudica, introitus, κυrie ελεησον, gloria in Excelsis, collectae, gradualium offertorij &c.

XXIX.

Hac sunt praecipua capita dogmatis pontificij de Sacrificio missae, ex quibus promptum est animadvertere, quam & qualem actionem intelligant, quando Eucharistiam appellant sacrificium.

Hinc

XXX.

Hinc questio oritur inter nos & ipsos: Sitne dogma Lijolitarum de eiusmodi oblatione corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, orthodoxum, & in Ecclesia acceptandum, ferendum & approbandum, nec ne? Nos negamus: affirmant Pontificij. ἀποφάσεως nostræ fundamenta præcipua hæc sunt:

XXXI.

Quodcunquæ dogma 1. in sacra Scriptura non est fundatum. 2. sed ei potius contrariatur, 3. & verum discrimen veteris & novi testamenti tollit: 4. plurimis quoque absurditatibus laborat, illud non est acceptandum nec ferendum. Tale est dogma Pontificiorum de missa. Ergo &c.

XXXII.

Assumptio probatur 1. quia vocabulum Missa non scriptura sed sacris Isidis notum. 2. quia ijs in locis, in quibus instituta est cæna Dominica nusquam fit mentio talis oblationis: 3. nec alijs in locis. Contrà, quæ inferunt adversarij partim falsa sunt, partim aliena & per crines attracta, ut sequenti capite demonstrabitur.

XXXIII.

Repugnare Papistarum dogma oraculis Spiritus S. hinc elucet: 1. quia scriptura in verbis institutionis cæna describit Sacramen-ũ, id est, talẽ actionẽ, in qua nos aliquid à Deo accipim. Papicola ex hac faciunt sacrificiũ, id est, talem actionem, in qua nos Deo aliquid contribuimus: 2. Scriptura dicit, Christum tantum dedisse corpus & sanguinem suum discipulis: Papicola contrà dicunt, Christum obtulisse Deo. 3. Christus verbis institutionis docet cõmunicantibus applicari remissionem peccatorum: Pontificij docent etiam non cõmunicantibus & absentibus applicari remissionem ex opere operato sacrificuli sacrificantis. 4. Christus mandat, ut edamus & bibamus in sui memoriam: Pontificij celebrant missam in sanctorum memoriam. 5. Scriptura affirmat Christi oblationem esse non modo specie, sed & numero unicam

B 2

& per-



& perfectã Heb. 7. v. 27. & 9. v. 12. & 25. c. 10. v. 2. 11. 12. 13. 14.
 Papista quotidianã instituunt oblationem. 6. Scriptura agnoscit
 unicũ summũ Sacerdotẽ, nullos vicarios, nullos secundarios: Pon-
 tificij dicunt se esse Christi vicarios, Sacerdotes secundarios. 7.
 Scriptura dicit sine sanguinis effusione non esse remissionem: Pa-
 pistæ statuunt missæ sacrificium esse incruentum, & nihilominus
 esse propiciatorium. 8. Scriptura sacra docet Christum non tan-
 tum merito, sed etiam efficacia esse Sacerdotem & Pontificem no-
 strum, ac sedere ad dextram Dei, ut interpellet pro nobis & cre-
 dentibus applicet beneficia passionis & mortis Heb. 4. v. 14. &
 7. v. 25. Rom. 8. v. 34. Loquitur hæc Christo detrahentes ad Sa-
 crificulos transferunt, quos dicunt in Missa esse mediatores inter
 Deum & nos, & per missam sistere Christum Deo, ut ita ad Deum
 accedentes inveniamus gratiam, & per missam, quæ sunt solius
 Sacerdotij Christi impetremus.

XXXIV.

Sacrificium Missæ tollit discrimen veteris & novi testamen-
 ti, quia representat sacrificium Christi in cruce peractum Conc.
 Trid. Sess. 22. cap. 1. Quicquid enim hoc Christi Sacrificium in a-
 ra crucis exolutum præfiguratur, adumbrat, representat, perti-
 net ad vetus testamentum. Coloss. 2. v. 17. Heb. 10. v. 1.

XXXV.

Ex dictis apparet quoque quam intolerabilibus absurdita-
 tibus scateat dogma pontificium.

Sunt & alia firmissima fulcra, quibus nostra sententia stabi-
 liri possit, verum quia in sequentibus disputationibus & hæc &
 alia copiose tractabuntur, ad secundum nostrarum Thesium caput
 accessum faciemus.

CAPUT II.

C A P U T II.

ARGUMENTORVM PONTIFICIORVM

pro Missa refutatio.

XXXVI.

Quamvis Lojolia se enumeratorum argumentorum vi plane oppressos satis sentiant, tamen ne questu, quem ipsorum impura Thais facit, priventur, multa pro ea regerunt qua tali syllogismo includi possunt.

XXXVII.

Quodcumq; dogma veritatem suam habet 1. ex analogia Sacramentorum utriusq; testamenti. 2. ex immotis prophetarum vaticinijs. 3. ex ipsius Christi exemplo atq; officio. 4. ex divi Apostoli Pauli assertione. 5. ab Ecclesia Christiana sub Apostolis florente, illud sane non accursandum, sed ut verum, ut orthodoxum, ut catholicum, amplectendum, defendendum, propagandum. Tale est dogma Catholicorum de Missa. Ergo &c.

XXXVIII.

Assumptionis membra ordine probantur. Primum ratione agni Paschalis Exod. 24. vers. 3. Secundum Esa. 19. v. 21. & 66. v. 21. Jerem. 33. vers. 8. Mal. 3. v. 3. Tertium Matth. 26. v. 26. 27. 28. 29. Mar. 14. v. 22. 23. 24. Luc. 22. vers. 19. Heb. 2. vers. 17. & 10. vers. 12. & Psal. 110. v. 4. Heb. 5. v. 6. & 7. v. 17. Ioh. 14. 34. Quartum probatur 1. Corinth. 10. Heb. 13. vers. 10. Quintum Act. 13. vers. 2.

XXXIX.

Speciosum hoc est argumentum; quod si nulla parte laboraret, non immerito conquererentur Pontificij de Lutheranorum in religione temeritate. Quare ut causam nostram defendamus, & conscientiam illesam habeamus, propositum argumentum discutiemus, eiusq; membra, quantum ponderis singula habeant sacra scriptura lance examinabimus.

XL.

I. Celebratio agni Paschalis fuit Sacrificium, immolatio, Eucha-

B 3

riflia



rística est nobis loco agni Paschalis, quippe qua ei immediate succedit, perque illum adumbrata. E. ut agnus Paschalis fuit sacrificium: sic oportet etiam Eucharistiam.

XLI.

Respond. ad maiorem, eamque neg. si intelligatur de sacrificio proprie dicto, 1. quia agnus Paschalis non oblatus est, ut cetera sacrificia à solis sacerdotibus, sed à quibusvis patribus familias. 2. non ad altare, sed per domos & familias. 3. non ritu Levitico, sed plane singulari, 4. in Ægypto, ubi nulla propter abominationem oblata sunt sacrificia Exod. 8. vers. 26. 5. in memoriam liberationis ex Ægypto.

XLII.

Si vero intelligatur de sacrificio $\nu\alpha\tau\iota$ dicto, dicimus agnum Paschalem dupliciter considerari, 1. ut sacrificium, 2. ut sacramentum. Quatenus consideratur ut sacrificium, adumbravit sacrificium Christi, & impletus est in passione & morte Salvatoris, Joh. 1. 1. Pet. 1. Joh. 19. 1. Corinth. 5. Quatenus consideratur ut sacramentum, successit in eius locum Eucharistia, non ut complementum, sed ut sacramentum peculiare Novi Testamenti: & correspondent non maceratione, sed manducatione, sine & effectu.

XLIII.

Quod si omnia requisita agni Paschalis volunt pontificij contineri in Eucharistia, cur non faciunt missam Cruentam, item communem cum patribus familias? Cur non pari absurditate argumentatur de baptismo: Baptismus successit circumcisioni: in circumcisione fuit amputatio preputij. Ergo erit etiam in baptismo

XLIV.

2. Si Christus sacerdotium novum in Novo Testamento instituit, etiam sacrificium instituit. sed prius verum. Ergo posterius. Consecutio probatur Heb. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, que apud Deum agenda sunt, ut offerat donaria & victimas pro peccatis. Assumptio probatur Esa. 19. v. 21. & 66. v. 21. Thren. 33. v. 18. Malach. 3. v. 3.

Responde-

XLV.

Respondemus non ex humanis coniecturis, nec ex allegorijs de Novi Testamenti sacerdotibus, sed ex solis scriptis Apostolorum judicandum esse. Quaecumq; enim praedixerunt Sancti Dei vates ad fidem & salutem Ecclesiae & ad tempus Novi Testamenti pertinentia, ea non solum proposuerunt Apostoli, sed etiam exposuerunt.

XLVI.

Meminit autem novum testamentum gemini sacerdotij quorum alterum propitiatorium & proprium Christi, alterum Eucharisticum, & commune omnibus fidelibus. Prius explicat epistola ad Ebr. à cap. 5. usq; ad 10. & ostendit, quod praefiguratum fuerit Leviticis, eiusq; finem unicam oblationem semel in cruce facta imposuerit.

XLVII.

Posterioris meminit Paulus Rom. 12. v. 1. & Petrus 1. Can. 2. v. 5. Ioh. Apoc. 1. v. 6. & 5. v. 10. & 20. v. 6. ubi tribuitur non solum presbyteris, sed in genere omnibus fidelibus. Hostia huius sacerdotij supra thesi 8. annotata sunt: de quibus testatur Origenes Homel. 9. cap. 16. Dum inquit: Unus quisq; habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, ut semper ardeat, hoc est, si renunciem omnibus, quae possideo, & tollam crucem meam & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei. Ibidem: dilectione proximi & carnis mortificatione grata Deo holocausta offerunt Christiani.

XLVIII.

Hinc autem non sequitur nullum esse discrimen verbi ministrorum & reliquorum fidelium. Distinguuntur enim verbi ministri à reliquis fidelibus non ratione Sacerdotij, sed ratione ministerij. Quod saepe observant Prophetae in vaticinando de novo sacerdotio ut Esa. 66. vers. 21. Assumam ex ijs.

XLIX.

Quod ad probationem consecutionis attinet, est in ea παρεργασία. Agit enim iste locus Heb. 5. non de verbi ministris generatim, sed speciatim de sacerdotibus veteris testamenti, & quidem de



de summo pontifice, qui fuit typus Christi. Quod autem presentii tempore utitur, non novum est, cum nos etiam, quo res oculis subjiciamus in praeitararum rerum commemoratione praesens saepe numero tempus usurpemus: Et Paulus ipse alibi Heb. 7. 9. 10.

L.

Vaticinium Malach. 1. v. 11. Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum, in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, neque de Christi sacrificio neque de spiritualibus fidelium sacrificijs potest accipi. Ergo necesse est intelligatur de missa sacrificio.

Consecutio vera est, quia nullum aliud agnoscitur sacrificium, quam vel Christi, vel fidelium, vel Missa. De sacrificio crucis non potest intelligi: quia illud solum Ierosolyma oblatum: hic vero dicit Propheta, quod in omni loco sacrificetur: neque potest accipi de interioribus fidelium sacrificijs: quia de plane novo & mundo vaticinatur: fidelium autem sacrificia fuerunt etiam in veteri Test. sunt insuper impura, contaminata, quanta quanta fuerint, attestantibus ipsis Lutheranis. Ergo de missa.

L I.

Respondeo hunc insignem Propheta locum non solum à Pontificiorum partibus non stare, sed etiam cum iisdem quasi adversa fronte pugnare. Nam à sancto vate celebratur oblatio munda: missa autem pontificia est immunda, fœdisq; erroribus conspurcata 1. quia violatur in ea Eucharistia integritas. 2. fingitur transsubstantiatio, 3. stabilitur magica consecratio, 4. panis contra mandatum Dei reponitur, circumgestatur, adoratur, 5. Christus denuo offertur, 6. Passio & mors Christi contumelia afficitur, 7. obliteratur ejusdem meritum, 8. finguntur Sacerdotes creare creatorem, 9. Officium Christi obscuratur, 10. constituitur impurus sacrificulus Mediator inter filium & patrem.

L II.

Hæc quam immunda sit oblatio, quis non videt? Quale igitur inquis intelligit sacrificium? Non ipsam Christi in ara crucis oblationem: sed εὐχαριστικὸν novi Test. sacrificium, quod duplici ju-

comprobāt Patres, Teruullianus, Irenaeus, Augustinus, Eusebius, Iustinus, Chrysoſtomus &c. Tertullianus in libro cōtra Iudeos: Malachias ita vaticinatur indubitate, ideo quod in omni terra exire habebat praedictio Apostolorū. Nam quod nō terrenis sacrificiis, sed spiritualibus Deo litandum sit, legimus, cor contribulatum hostia Dei est, & de spiritualibus addit dicens: in omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo.

LVIII.

Quod de Sacrificio jugi per Antichristum auferendo dicitur Dan. 3. v. 13. & cap. 9. v. 27. & cap. 12. v. 11. id vel de spiritali Dei cultu, vel de externo Missae sacrificio intelligendum.

Sed de spiritalibus sacrificijs non potest intelligi, quia illa vi externa pijs auferri non possunt: Sed in persecutionibus magis magisq; exardescunt. E. de Missae sacrificio intelligatur necesse est.

LIX.

Respondemus esse in argumento $\omega\alpha\gamma\epsilon\gamma\mu\alpha\upsilon\epsilon\iota\alpha\pi$, quod ex genuina istorum vaticiniorum expositione apparet. Primum enim quod attinet, agit illud proprie $\omega\lambda\tau\omicron\ \xi\eta\tau\omicron\pi$ de externo sacrificio Mosaico, quod ab Antiocho, attestante Eusebio, Hippolyto, & Iosepho lib. 12. antiqui. Iud. cap. 10. per tres cum dimidio annos ē sanctuario penitus sublatum, & in Ethnicas superstitiones transmutatum erat. Secundum agit $\omega\lambda\tau\omicron\ \xi\eta\tau\omicron\pi$ de omnium ceremoniarum Leviticarum exitiali & finali abolitione, de Sane drim demolitione, de sceptri iudaici amissione, deq; urbis Ierosolymitanae, atque adeo totius regni Israelitici crudeli, & nunquam restauranda eversione. Quae omnia referentibus historiarum monumentis impleta sunt 1. à Pompejo, qui 170. Olympiade urbem & populum evicit, eorumque duodecim millibus occisis cum militibus in sanctuarium ingressus & Aristobulum, victum, vivum in triumphum reservavit. 2. à Crasso, qui quicquid auri & pecuniarum in templo erat, una cum trabe aurea versatili trecentas minas pensante cum perjurio sustulit. 3. ab Herode, qui

secundo

643.

secundò urbem vicit & quicquid reliquerant Romani, plane ex-
hausit, libros de genealogia regum conscriptos exussit, ordinarios
judices, quos Sanedrim vocant, evertit & c. 4. ab Imperatoribus
Tiberio, Caligula, qui statuas suas in templo erigi curarunt. Deniq;
à Tito Vespasiano, qui armata manu urbem cepit, templum ever-
tit, domos incendit, incolas occidit, totam denique structura ma-
chinam ferro flammag; horrendo plane modo funditus extirpa-
vit.

LX.

Hi externa vi, divino ita volente Fato, sacrificium Leviti-
cum corruerunt, dilaniarunt, abstulerunt: Christus autem circa
idem tempus juxta vaticinium Danielis adveniens longo alio
modo idem sacrificium sustulit: unica nempe sui ipsius in ara cru-
cis oblatione: qua facta disruptum est velum templi, impleta
sunt figura, extincta ceremonia Levitica, finitaq; cuncta sacri-
ficia proprie dicta.

LXI.

Hac vaticinia quando per allegoriam Antichristo novi Test.
accommodantur, non constituunt articulos fidei: Allegorica enim
Theologia non est argumentativa, ut recte Thomas de Aquino. Et
Epiphanius: τὰ γήματα θεῶν οὐ πάντα ἀλληγορίας δέονται, ἀλλ' ὡς ἔχει,
θεωρίας δὲ δέονται καὶ αἰδοῦσθαι.

LXII.

Tertium denique vaticinium notare Antichristum, id est,
Papam Romanum, perq; eundem impletum esse multi doctissimi
viri ad unguem ex verbo Dei demonstrarunt.

LXIII.

Quod additur sacrificia spiritualia vi externa impediri,
corrumperet & auferri haud posse, nō agnoscimus pro Catholico, cum
historie & exempla contrariū testentur, cūq; Paulus dicat, Anti-
christū in errorem multos seducturum, verumq; Dei cultum per-
εὐελθεροκεία atque humanarum traditionum additamenta abla-
surum 2. Thess. 2. v. 3. 4. 8. 7. 1. Timoth 4. v. 1.

C 2

Christus

LXIV.

Christus in ultima cœna seipsum patri suo obtulit sub specie panis & vini, & id ipsum iussit fieri à discipulis suis & eorum successoribus, usque ad mundi consummationem. Sed hoc est sacrificium vere ac proprie dictum obtulisse, & offerendum instituisse. Propositio probatur: 1. quia Christus non fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci: 2. non fuit verus cibus & potus in cœna: 3. nec fuit verè sanguis cœnæ, sanguis novi Testamenti, nisi se obtulerit. 4. quia Christus dicit in presenti tempore: Datur, effunditur: quæ de actu secuturo non intelliguntur.

LXV.

Respondemus simpliciter negando propositionem, quia non tantum nullo scripturae testimonio probatur, sed etiam diè diè ~~etiam~~ ab institutione Christi distat. Evangelistæ narrant Christum acceptum panem, postquam gratias egisset, fregisse ac dedisse discipulis: similiter & poculum. Atque dare & distribuere non est offerre. 2. data iussit Christus discipulos comedere & bibere. Atque ab alio accipere, comedere & bibere, non est offerre seu sacrificare. 2. constat Christum instituisse Sacramentum. Sacramenta autem sunt pignora & sigilla promissionis, quæ nunquam promittenti offeruntur, sed à promittente oblata accipiuntur. 3. Si oblatio Christi in cœna facta est, facta est vel ad remissionem peccatorum, vel non. si ita: frustanea erat oblatio Christi in cruce. Nam ubi est remissio peccatorum, ibi non est oblatio pro peccatis. Si non: Cur igitur Christus dicit, hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur, in remissionem peccatorum? 4. Traditio corporis Christi, & effusio sanguinis eius in remissionem peccatorum, aut fuit facta in prima cœna tantum, & non etiam in cruce: aut in cruce tantum, & non etiam in cœna: aut non est unica oblatio Christi pro peccatis. Atque est unica, non tantum specie, sed & numero, affirmante Apostolo Heb. 9. v. 12. 26. & 10. v. 10. eaq. facta per effusionem sanguinis in cruce. E. nulla facta est oblatio Christi in cœna.

Hic actum

LXVI.

Hic actum esset cum Romanensibus, nisi subsidium quaerere in efficta distinctione, quâ dicunt Christum obtulisse incruento modo in cana, cruento in cruce, quam nullo modo recipimus, 1. quia non solum nullum fundamentum habet in scriptura, sed 2. eidem contrariatur Heb. 9. 10. 3. quia deviat ab institutione cana. 4. quia implicat contradictionem.

LXVII.

Ex his manifestum est, falsos & vanos esse Lojolitas, quando affirmant Christum in ultima cana sacrificasse. Caterum quod illorum rationes attinet, breviter eas examinabimus, ut quantum quaq; valeat, innotescat clarius.

LXVIII.

Melchisedecus obtulit Deo panem & vinum Gen. 14. v. 18. Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedeci. Psal. 110. vers. 4. Heb. 9. & 10. Ergo quemadmodum Melchisedecus obtulit, sic oportuit etiam Christum offerre, ut typus adimpleretur: & quidem in cana, cum nusquam alibi fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedeci.

LXIX.

Resp. Committi errorem τὸ παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Nuppiam enim in sacra scriptura expresse legitur Melchisedecus obtulisse, ne quidem ijs in locis, ubi vel maxime necessarium fuit, ut in Epist. ad Hebr.

LXX.

Argumenta, quibus adversarij pro Melchisedeci sacrificio stabiliendo utuntur, sunt infirma & elumbia. Contrarium enim habet textus Hebraeus, Paraphrastes Chaldaeus, interpres Graecus, versio Latina vetus, omnes circumstantia, tota phrasis, imprimis epistola ad Hebr. nec non Iosephus lib. 1. antiqui. Iud. cap. 18.

LXXI.

Quod Bellarminus regerit lib. 1. de miss. cap. 6. in scriptura pro sepe usurpari ut Gen. 20. v. 3. & 30. v. 27. Esa. 64. v. 5.

C3

frivolum



frivolum est, cum non queratur quid alibi significet, sed quid hoc in loco: id quod citati interpretes ex usu frequenti docent.

LXXII.

Et ut demus (quod dictum, non factum) Melchisedecum antequam epulo exciperet Abrahamum cum suis e victoria redeuntem, partem panis & vini accepisse & libasse, id est oblatione facta gratias Deo pro victoria & pro salubri usu cibi corporalis & alijs omnibus beneficijs (quae mos fuit sanctorum patrum, qui etiam ad gentes promanavit, sicut Athenaeus laudat Homerum, quod principes Graecos describat nunquam assidere mensae vel discedere sine libatione & precibus) non tamen sequitur gratiarum illam actionem propterea fuisse sacrificium applicatum pro Abrahamo, & socijs, ut mereretur eis remissionem peccatorum: nec sequitur Christum idem fecisse in cena, cum non sit necesse, ut omnia in typo & antitypo ex asse congruant, sed saltem ea, quae sacra scriptura accommodat.

LXXIII.

Quod patres attinet, qui hunc locum ex adversariorum sententia videntur exposuisse, iudicamus eos vel tale, quale pontificij, non intellexisse sacrificium, vel si maxime intellexerint, non posse suis interpretationibus nova nobis cudere & obtrudere dogmata, quae cum Cynosura verbi Dei non consentiunt.

LXXIV.

Ad assumptionem respondemus, Christum similem esse Melchisedecis in partibus, quas scriptura recenset: nec debere collationem ulterius extendi, quam epistola ad Hebraeos, quae hoc argumentum ex professo tractat, eam extendit. Est autem ibi talis collatio, quae partim concernit personam, partim officium. Personam, quod Melchisedecus historicè introducitur ἀπαύτως ἡ ἀμύτως: sic etiam Christus est revera ἀπαύτως, quoad humanitatem, ἀμύτως quoad deitatem. Officium, quod regale & sacerdotale. In regali officio, sicut Melchisedecus fuit simul rex & sacerdos: sic etiam Christus. 2. Melchisedecus fuit rex iustitiae & pacis: sic etiam Christus est

est rex justitiæ & pacis Esa. 9. In sacerdotali officio fuit Melchisedecus unus sine socijs, vicarijs, successoribus juxta scripturam: sic etiam Christus est unus & aternus sacerdos. 2. Melchisedecus fuit immediate vocatus ad hoc officium: sic etiam Christus. Heb. 2. 3. Melchisedecus, ut major, benedixit Abrahamo: sic etiam Christus benedicit omnibus credentibus & tollit maledictionem.

LXXV.

Hæc est collatio Apostolica, qua confertur Christus cum Melchisedeco, quæ minutatim excutitur, quicquid Melchisedecus cum Christo habuit commune. De ista verò oblatione panis & vini, corporis & sanguinis, ne litera quidem, ne dicam verbulum, auditur: quod quomodo fieri potuerit, ab Apostolo sine notorio negligentia crimine judicet quisq; cordatus.

LXXVI.

Fallunt & falluntur Papistæ affirmantes hoc collationis membrum ab Apostolo silentio involutum vel propter ruditatem Judæorum, vel propter incredulitatem, vel quod is scopus non fuerit propositus. Nam contrarium ex textu epistolæ monstrari potest.

LXXVII.

Oppò. Melchisedecus in oblatione nullos habuit graphicè in suo sacerdotio vel successores vel vicarios vel socios, vel quos vocat Pistorius *Interpres*. Christus juxta Pontificios in oblatione similis est Melchisedeco. E. Nullos habet successores, vicarios, socios *Interpres*. O miselli sacrificuli, abdicatè vos missificatione.

LXXVIII.

2. Nullum corpus & sanguis potest esse cibus & potus, antequam præparetur & mactetur. Corpus Christi in ultima cæna fuit discipulis cibus, & sanguis potus. E. necesse est præcessisse aliquam oblationem.

LXXIX.

Respondeo esse παραλογισμὸν à diversis principijs petitum. Major loquitur de cibo & potu mere naturali: minor de cibo plane singulari & hyperphysico.

Eadem

LXXX.

Eadem est ratio sanguinis veteris & novi testamenti, ut apparet ex conformitate sermonis Christi & Moysi. Sanguis autem veteris testamenti erat sanguis victima immolata &c. E: ut in Veteri Testamento praecessit sacrificium, sic etiam in novo testamento.

LXXXI.

Resp. esse elenchum parium. Multa enim de sanguine veteris testamenti possunt predicari, quae sanguini novi testamenti minime competunt: idq; ideo, quia realiter differunt. Quae autem realiter differunt, eorum non esse per omnia eandem rationem constat. Et huc sine dubio respexit Christus, quando non simpliciter dicit: hic est sanguis testamenti: sed hic est sanguis meus novi testamenti. Quare restringenda est major propositio, ut nimirum sit eadem ratio sanguinis utriusq; testamenti, quatenus spectatur sanctio, confirmatio, applicatio.

LXXXII.

Quicquid Christus enunciat in sacra Eucharistia verbo praesentis temporis, illud de actu praesenti, & non demum futuro intelligendum. Atqui traditionem sui corporis, sive ut Paulus appellat fractionem, & fusionem sanguinis, Christus enunciat in sacra Eucharistia verbo praesentis temporis: Traditur, frangitur. E. Traditio de actu praesenti, & non demum futuro intelligenda est, ac proinde obtulit.

LXXXIII.

Respondemus propositionem esse falsam. Nam usus praesentis vel praeteriti temporis pro futuro in sacra scriptura propter eventus certitudinem est frequentissimus. Ioh. 10. v. 15. inquit Christus: Ego pono animam meam &c. Luc. 22. v. 22. Filius hominis vadit. Esa. 53. v. 5. ipse vulneratus est propter iniquitatem nostram. Psal. 22. v. 17. Foderunt manus meas &c. Item v. 18, 19. &c.

LXXXIV.

In assumptione committitur error τὸ μὴ αὐτὸς ὡς αὐτὸς. Non enim

49

enim utitur Christus presenti tempore ut significet se offerre: sed quia jam nunc venerat hora, imò factum quoddam initium passionis per Iudam Iscarioth, qui jam tum pollicitus fuerat Iudæis traditionem.

LXXXV.

Ut igitur Christus nec ipse sacrificavit: sic nec discipulis offerre iussit. Nam quod adversarij in verbo facere sua causa patrocinium querunt: sic argumentantes: Verbum Facere non solum apud Hebræos ut Exod. 29. v. 38. Lev. 15. vers. 3. 1. Reg. 18. vers. 23. Sed etiam apud Latinos, ut apud Virg: Cum faciam vitula pro frugibus ipse venito, significat sacrificare. Ergo in missa debet fieri sacrificium ex mandato Christi, qui dixit: Hoc facite; ἐστὶ κρησφύγετον plane immunitum. In majori enim committitur error παρὰ τὸ πρὸς τι ἀπλῶς λεγόμενον ἢ παρὰ τὸ ἐπόμενον. Eisi enim verbum Hebraum Asah significationem offerendi quando in regimine ponitur, & res quæ sacrificatur cum eo componitur, habet, ut cum dicit scriptura: Facere agnum &c. & apud Latinos sensum offerendi, quando vel absolute & silitarie ponitur, vel cum sexto casu jungitur, retinet: tamen ut eandem significationem in verbis cana obtineat, nulla ratione evincitur, cum nec de sacrificio expresse prædicetur, nec absolute ponatur, nec cum sexto casu jungatur, sed cum quarto: Facite hoc, quod pronomen non refertur ad præcedentia vocabula Corpus & sanguinem, ut sit sensus: Facite corpus & sanguinem, id est, sacrificate, sed ad totum orationis contextum, totamq; actionem præcedentem, ut Paulus testis est certissimus, qui cum dixisset: Hoc facite, mox subjungit: Quotiescunq; comederitis & biberitis &c. & accommodat non ad solos sacerdotes, ut pontificij, sed ad totam Ecclesiam Corinthiacam.

LXXXVI.

In assumptione est error παρὰ τὸ κῆμα τῆς λέξεως. Non enim Hebraice, nec Latine, sed Græce scripserunt Apostoli, ha-

D
bentq;

lentq; verbum ποιῶν, quod ubi apud classicum autorem significet sacrificare, rogamus ostendant Pontificij.

LXXXVII.

Omne sacerdotium requirit sacrificium Christus habet aeternum sacerdotium. E. sacrificium habeat necesse est.

LXXXVIII.

Respondemus ad assumptionem, Christum sedere in dextra Dei, esse summum pontificem, habere aeternum Sacerdotium, non vi misificationis, quæ per sacrificulos peragitur, sed 1. vi unius hostie semel in ara crucis oblata. 2. vi officij. Quod ad hostiam, obtulit illam Christus semel in cruce, & quidem talem, cujus actus quidem offerendi transijt, ipsa vero eiusq; vis & efficacia ob perfectionem & præstantiam manet & valet in omnem aeternitatem, ita ut non opus sit eius reiteratione. Ratione officij est Christus aeternus Sacerdos 1. quia in aeternum vivit seu manet. 2. quia vivit ad hoc, ut interpellet pro nobis. 3. quia in perpetuum salvare potest eos, qui per ipsum ad Deum accedunt. 4. quia per ipsum, ut Sacerdotem, habemus accessum ad Deum.

LXXXIX.

Papicola negant has esse veras causas aeternitatis sacerdotij Christi & alias ex scrinio papali & vertiginis cerebro assumptas substituunt, quas quia hac ratione non solum carent scripturae testimonijs, sed etiam ipsæ adversa fronte Hebr. 7. contradicunt, plane nihil curamus. Quod porro dicunt Christum esse summum sacerdotem, se secundarios, planè absurdum est. Scriptura enim tale nobis describit Christi sacerdotium, in quo nihil quicquam reperitur, quod possit ulli homini competere, unde etiam unum opponitur omnibus Leviticis. Heb. 7. ubi tales illius unitatis cause assignantur, quæ tam non possunt perferre pluralitatem sacerdotum Novi Testamenti, quam nec pluralitas illa in Veteri Testamento potuit assequi perfectionem.

Oppon.

XC.

Oppo. Si sacerdotium Christi consistit in Missificatione papicoliarum, tunc vel sacrificuli sacrificabunt in aeternum, etiam in altera vita, vel Christus desinet ibi esse rex & sacerdos. Sed utrumq; posterius falsum. Ergo & prius. Sacrificulos opinari se missam in altera vita celebraturos, vix credo: Christum regem & sacerdotem esse & manere in infinitam aeternitatem, vel saltem ex eo patet, quod propter ipsius meritum non modo intromittamur in vitam beatam, sed etiam in ea conservemur, ne excidamus.

XCI.

4. Si mensa Domini dicitur altare oportet ut sacrificij ratione ita dicatur. Nam talis est relatio inter sacrificium & altare, ut uno posito, ponatur alterum. Sed prius verum. Erg. post. Prius probat Paulus 1. Cor. 10. ubi altare Daemoniorum seu idolorum cum mensa Domini confert, & promiscue mensam Domini & altare vocat.

XCII.

Respondeo errorem committi τὸ πᾶρὰ τῆρ τὸ ἐλέγχεσθαι ἄνοιαρ. Constat enim ex 1. Reg. 1. vers. 16. Item ex Athen. eo lib: 3. ex Calio lib. 7. cap. 2. ex Virg. Aen. 8. Ethnicis & Iudaeis de more fuisse, ut, peracto in altari sacrificio, de reliquis sacrificijs, non in templo sed domi convivium & epulas solennes instituere, ad quas amicos & vicinos invitarent. Vnde questio oriebatur apud Corinthios: An Christiani illis convivijs Ethnicorum interesse, & quae in templis atq; aris jam ante sacrificata erant, in mensis bona conscientia concedere possent? Respondet Apostolus eos qui in aris sacrificata, in mensis concedunt, illa manducatione participes fieri altaris, id est, sacrificij in altari oblatis: sic Iudaeos & Ethnicos sacrificia externa comedentes in convivio participes fieri altaris, seu sacrificij in altari oblatis: sic Christianos comedentes in mensa Domini sacrificium, id est, corpus & sanguinem Christi in



si in ara crucis oblatum, eius sacrificij fieri participes. Quia vero hæc simul stare non poterant, ut Christiani & mensa Domini & Demoniorum participes fiant, à mensis Demoniorum & idolorum ut abstineant, jubet.

XCIII.

Secundò sit, Præulum conferre mensam Dei apud Christianos cum altari Iudeorum & gentium, num vero quis inde concludet, mensam Domini esse altare? Nihil minus. Nam ubicunque legimus in sacra Scriptura cœnam Dominicam celebratam, nulla prorsus ibi fit mentio altaris, nec in institutione, nec in actis, nec epistolis Apostolorum.

XCIV.

Tertio nec tanta est relatio inter altare & sacrificium, ut alterum sine altero consistere non possit. Nam altare potest esse sine Sacrificijs ut Iosu. 22. v. 23. & sacrificium sine altari, ut apud Persas, de quibus referunt Herodotus in Clio, Strabo lib. 15. quod neque statuas, neque aras, neque templa extruere, & tamen hostias Iovi in editissimis quibusq; montibus & locis excelsis immolare consueverint.

XCV.

Heb. 13. Habemus altare, de quibus non est fas edere his, qui tabernaculo deserviunt. E. est etiam sacrificium in novo Testamento.

XCVI.

Resp. Argumentum esse ineptum & falsum. Ineptum quia Paulus mox addit, non esse fas illis edere de altari, qui tabernaculo deserviunt. At ipsi sacrificuli sunt, qui tabernaculo deserviunt. E. illi juxta Paulum non debent edere sub Missa. Falsum quia Paulus per altare, non externum aliquod lapideum, quod missificationi inserviat, sed ipsum Christum intelligit, qui ut est nobis Sacerdos, ut victima: sic quoque altare nostrum, in quo & per quod nostras preces, omnia nostra, deniq; nos totos
Deo

Deo tanquam sacrificia in spiritu & veritate offerimus. Sic enim
Apostolus hunc locum de spiritali Christianorum altari conclu-
dens. per ipsum igitur, inquit, assidue offeramus Deo Sacrificia
laudis, hoc est, fructum labiorum consentium nomini eius: &
mox: Beneficentia vero & communicationis ne obliviscamini.
Talibus enim victimis delectatur Deus Heb. 13. v. 15. 16.

XC VII.

Nulla lex potest sine sacerdotio esse. E. neque Evangelica.
Et per consequens erit Sacrificium. Heb. 7.

XC VIII.

Resp. Concedimus argumentum pio sensu acceptum. Nam
ut duplex est in Evangelio Sacerdotium: alterum solius Christi:
alterum Christianorum 1. Pet. 2. 5. Apo. 5. &c. ita duplex quo-
que sacrificium: alterum solius Christi, quod in cruce semel pro
totius mundi peccatis obtulit: alterum Christianorum, nempe
bona opera, facta ex fide, in unicum illud Christi sacrificium. Non
ergo sequitur: In novo Testamento est aliquod Sacrificium. Ergo
continetur sub eo sacrificium Missae.

XC IX.

Ex 8. denique cap. ad Heb. inferunt oportere sacrificare, cum
necesse sit, ut Christus habeat aliquid, quod offerat. Sed responde-
mus esse παραλογισμὸν. Falsa enim expositione corrumpitur di-
ctum Pauli. Nam in Græco textu est προσενέγκη, id est, quod
offerret, vel offerre debuerit. Vult igitur Apostolus Christum no-
vi Test. Pontificem oportuisse habere aliquid, quod offerret, vel
offerre debuerit: Sic etiam inter doctores Pontificios clarissimus
Thomas in octavo capite ad Heb. exposuit.

C.

5. Sacrificium Missae statim ab Apostolorum temporibus fuit
in Ecclesia Christiana. E. adhuc pie celebratur. Confirma-
tur argumentum Actorum 13. v. 2. ubi ministri Ecclesiae Anti-
ochiana leguntur ministrasse, id est, sacrificasse.

D 3

Respondeo



C I.

Respondeo esse fallaciam ὁμωνυμίας in verbo græco λειτουργία, quo utitur Lucas. Significat enim λειτουργία in genere servire, ministrare, & proinde speciatim ex locorum circumstantiis est explicandum. Roman. 13. versic. 3. dicuntur magistratus λειτουργοὶ θεῶν. Hebr. 1. τ. 14. vocantur angeli πνεύματα λειτουργικά. Quod præsentem locum attinet, docent omnes circumstantia, eum intelligendum esse de publico docendi munere. Quamobrem recte eum reddidit Chrysostomus κηρυττόντων, αὐτῶν. Quæ expositio consentit etiam cum mente Pauli Rom. 15. ubi prædicatio Evangelij vocatur ἱεραργία, in qua se Paulus dicit esse λειτουργός.

C II.

Hæc sunt præcipua fundamenta quibus Pontificiorum idolum Missæ innititur, quæ quam arenosa, quamq; ruinosâ fuerint, ex dictis patere puto.

C III.

His igitur everfis & dirutis manet nostra sententia, quâ affirmamus Missæ celebrationem non solum, non fundatam, in sacra scriptura, sed eidem contrariari, tollere discrimen veteris & novi Testamenti, implicare contradictionem, laborare plurimis absurditatibus & proinde damnandam atque ad infernales furias proscribendam.

C IV.

In auras quoque evanescent missatici fructus, quales sunt juxta inanes Løjolarum opiniones, pro peccatis vivorū & mortuorum propitiatio, virtutis & meriti Christi applicatio, omnis generis bonorum impetratio. &c.

C V.

Quare concludimus eleganti doctissimi cujusdam viri
τετρασίχων

Missâ quid? oblatus semel est oblatio Christi

Alterâ, quam Papæ sanxit in orbe furor.

At cor.

At corpus præbens cum pane meroq̄ cruorem
 Non offerre jubet, participare jubet.
 Munera quæ ferimus Domino, sunt munera
 laudis,
 Sunt crux atq̄ preces, suavia thura Deo.
 Inunc & pedibus meritum tu protere Christi,
 Cumq̄ tua missa perfide Papa Vale.

μόνον θεῷ δόξα.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405





17470c

Retro

VD17







625.
37



DE
ONTIFICIA.
 ATIO XIII.
 DA PARTE EX-
 identini, à clarissi-
 MART. CHEMNI-
 onscripti,
 tans capitibus:
 um de Missa.
 entorum, quibus eam stabi-
 onantur.
 positiones
 RÆSIDIO
GESNERI, SS.
 Professoris publici in cele-
 ebergensi, in collegio dispu-
 um privato, defendendas
 anno, 1603. in tem-
 torali proponit
ETIVS, Holsatus.
 BERGAE
 eisnerianis.

